

110.

DEO DUCE!  
EXERCITIUM ACADEMICUM,  
De  
**DONATIONE  
CONSTANTINI  
MAGNI;**

Qvod,

*Consensu Ampl. Facult. PHILOS. in Reg. Acad. ABOENS.*

PRÆSIDE,

U. Cl.

**D<sub>N</sub>. ALGOTHO A.  
SCARIN,**

Histor. & Philosoph. Civil. PROFESS. Reg. & Ord.

*Publico examini modeste submittit,*

**ISRAËL IDMAN.**

*Satuc. Feno*

Die XVI. Maij, Anni MDCCXLVIII.  
loco horisqve soilitis.

---


ABOÆ, Excid. JOH. KÆMPE, Reg. Ac. Typ.

DIO DUCB  
EXERCITUM AGGRIMINUM.

ДОНАТОВА  
КОНСТИТУЦИЯ  
ГИДАИ

ДОНАТОВА  
КОНСТИТУЦИЯ

ДОНАТОВА  
КОНСТИТУЦИЯ



APHORISMUS. I.

**M**oris fuisse gentilibus, pretiosissima quæcunque Diis suis offerre, tralatitium est. Mundo in ecclesiam intruso, voti religione priscâ Christianorum, opibus & proprietatibus eandem profecisse, sed virtute juxta defecisse, BERNHARDUS testis est. (a)

(a) Bœhmer. Jurispr. eccl. tom. V. p. m. 135. seq.

APHOR. II.

**A**ugendi patrimonii ecclesiastici, quamvis nullos nisi legitimos modos, hoc est rationi & pietatis regulis conformes, admittere velle visi sint imperatorum non pauci: ab impiis tamen, quæ ambitioni & avaritiae lenocinarentur, non abstinuisse leqvioris ævi clericos, antiquitates ecclesiasticæ affatim testantur. (a)

(a) Bœhm. idem de jure paroch. p. 335. seq.

## APHOR. III.

**I**NTER clandestinas, qvibus induillere, locupletandi artes, referimus donationes, partim clementitas, [a) partim e blanditas [b) dominis suis summisque potestatibus; qvarum sicut vix aliis finis esse potest, qvam proprietatis primum, mox regiminis politici cujusdam fundatio: Ita post non multò, qvamvis inauspicatiò accidit, ut per illas suspectas, certè immodicas largitiones, urbes & ducatus & principiatus ecclesiæ patrimonio adscripti fuerint, & demum qvod accessorium erat in munere sacro, illud ceu unicè necessarium ambiri, curari, strenuè diligenterqve propugnari cœperit.

(a) Dieter. Otto III. p. 44. (b) Strykius de jure blanditiar. adde tractat. de nervis rerum gerendarum ecclesiae Rom. citatum Boehmer. Jurisp. eccl de jure paroch. p. 335.

## APHOR. IV.

**A**D probandum **CONSTANTINI MAGNI** Christianismum, argumentis nullis non veteres & recentiores incedere solent. Donaria ministerio divino consecrata, immunitates, & pingvia victimarum Clericis concessa pro veræ reli-

3

religionis criterio alii venditant: sed quas sine  
iudicio & modo factas sape liberalitatis excre-  
scencias, defectui magis quam profectui illius a-  
lii iterum adscribunt, & ad captandum Chri-  
stianos, non perinde Christianismum, compa-  
ratas fuisse existimant.

APHOR. V.

**I**nter ementias summorum principum largitio-  
nes, quibus jura Romanæ urbis sua, suum  
que in complures Italæ urbes dominium con-  
firmare nituntur pontifices Romani, primo &  
ultimo loco donatio **CONSTANTINI** referri so-  
let. Quid verò de illâ sit tenendum, cum im-  
præsentiarum dissenserere constitutum mihi sit, Tu-  
am mihi, Lector benevole, indulgentiam &  
æquanimitatem exopto.

APHOR. VI.

**H**Anc donationem **SYLVESTRO** Papæ ab  
Imperatore factam fuisse, cum à lepra (a)  
eundem curasset & sacris Christianismi per ba-  
ptismum initiasset, recepta & in vulgus nota  
est Romanensium traditio.

(a) Ioh. Georg. Heinsius in histor. eccles. suae ex-  
quisitissimo opere de Sylvestro medicinam parante orbis  
imperatori, in hunc modum judicat: Man giebt sonst

<sup>4</sup> vor / daß Constantinus zu Rom von dem Papste  
Sylvestro getauft / und dadurch von dem an sich ha-  
benden aussatz wärē befreyet worden: Es sind a-  
ber dieses solche papistische erfindungen / welche  
mit nichts andern / als er dichteten nachrichten be-  
leget werden können.

*APHOR. VII.*

**P**ragmaticæ sanctionis & donationis, decre-  
palium constitutionibus insertæ, summam hanc  
habe: Agniti principis *Apostolorum* in terris  
potestate, cuius vicem gerentes successores fir-  
mos apud Deum patronos sibi elegisset Impe-  
rator, primò gloriæ dignitatem & honorificen-  
tiam imperialem (a), mox principatum super  
omnes in universo orbe ecclesias, præcipue  
vero Hierosolymitanam, Antiochenam Alex-  
andrinam & Constantinopolitanam apostolicæ  
sedi decernit. *Hinc* palium Lateranense toto  
orbe præcellentissimum, una cum diadema  
& ceteris imperii insignibus *STLVESTRO*  
confert. *Inde*, ne vilesceret pontificalis apex,  
urbem Romam omnesqve Italiam & occidentis  
regiones beatissimo patri & successoribus illius  
ad finem usqve dierum tribuit. Et *demum*,  
qui sanctionem istam infringere auderet, eun-  
dem

5

dem nullis non condemnationibus innodatum,  
& cum diabolo & omnibus impiis, inferiore  
inferni loco concrematum iri, minatur. Romæ  
III. Calend. Aprilium, domino CONSTAN-  
TINO & Gallicano viris clarissimis Consulibus.

(a) Decretal. Part. I. distinet. 90. Constantinus impe-  
rator papæ concessit coronam & omnem regiam di-  
gnitatem in urbe & in partibus occidentalibus.

APHOR. VIII.

**Q**VAMIS pro certo definire non facile qvis-  
qvam possit, qvo auctore, (a) aut qvo  
primum tempore, (b) in lucem editum sit  
hoc edictum: id pro certo habendum tamen,  
ad CONSTANTIUM primum seu magnum,  
non nisi per impudentem imposturam posse re-  
ferri, qvod thesibus seqvuturis pluribus pro-  
bandum venit.

(a) Adminicula & fulcra, qvibus res facti probari so-  
lent, vel praecipua sunt, si tertius ipsum, qvo res ge-  
sta fuerit, ut & auctorem rei gestae incubitatum,  
qvis allegare, poterit. In utroque vero probationis gene-  
re isto laborare hanc donationem plus satis constat.  
Quod enim auctorem attinet, Johannem diaconum,  
cui a digitis cognomen, aliis donationis instrumentum  
hocce aureis literis consignasse, memoriae prodiderunt;  
qvos inter Johannes Bodinus est, qui ex indice bi-  
bliotbecæ

bliothecae Vaticanae ea de re femet certiorem factum esse ait. Sed ab illo homine diversum, nominis ejusdem, subdiaconum alium fuisse auctorem fabulae suscipiantur alii. Verum quoniam ille fuerit, improbissimum nebulonem fuisse, Conringius pro verò judicat. conf. Dieter. Imper. Otton. III. hist. p. 44. item Camerar. hor. subs. C. I. pag. 178.

(b) De tempore vero: In eodem exakte definiendo neque consentire censendi sunt scriptores. Alii enim anno N. Christi: 315. alii iterum anno 324. promulgatum volunt hoc edictum. Ad labefactandam verò fidem et certitudinem historicam, quae magis esse potest comparata res, quam auctorum in designando tempore, quo res gesta sit, difformitas atque discrepancia? Qvonam verò ex sequentibus seculis vero simillime videri possint papae Romani, ex statione sua aliquem excitasse, ad intendendum ludibrium aevi hocce, in sequentibus visuri sumus. Hoc loco annotasse sufficit de GREGORIO VII. quod Paleam ille citaverit ad infringenda Germaniae Caesarum in Italiam jura. imo in formula jurisjurandi exhibita HENRICO Lucelburgensi Anti Caesari, mentionem eiusdem insuper injectam esse, Baronius ad an. 1082. testis est.

#### APHOR. IX.

**I**N silentio coævorum scriptorum ad inficiandam rei alicujus existentiam, magnam positam esse argumentandi vim, omnes noverimus. Hujusce verò donationis cum neque Eusebius,

sebius, qui vitam **CONSTANTINI** diligenter scripsit, non Socrates, non Sozomenus, etatis ejusdem scriptores ecclesiastici, nedum extra ecclesiam vetustiorum aliquis, pertinentis ad ignominiam principatus, facti hujus meminerit: ad ponendam in aprico rei gestæ veritatem tabulas donationis ipsas, (a) quamvis adorandæ rubiginis non sufficere, neque propulo puto obryzo accipi posse, manifestum est.

(a) *Quisq[ue]lia apellaveret Pontificiorum cordatores ipsi  
banc donationem. Paleam plures dixerunt, ex qua au-  
dierint surdi, viderintque cœci multi magnam curiae  
Romanae factam opulentiae accessionem.*

*APHOR. X.*

**R**omæ baptizatum fuisse Imperatorem, licet una cum Zonara & Nicephoro contentiant sevioris ævi scriptores Latini: nilominus tamen, cum modo memorati antiquiores Græci, nullius Romæ peracti baptismatis mentionem faciant, verum Nicomedia in Bithynia, salutaris Ivacri, idque ad finem vitæ, eundem participem factum fuisse prodiderint, (a) quid de scripto apocrypho tituloque ditionis & jurisdictionis Pontificum Romanorum super eos dem

dem fundato, sit existimandum, qvi a partium studio alieni sunt, non longe videbunt.

(a) Eusebius Lib. IV. Hist. Cap. 61. Cum hoc historicō consentit Hieronymus in chronicō, qui extremo vīae suae tempore ab Eusebio Nicomediensi episcopo baptizatum fuisse Constantiū ait, eundemque in Arianum dogma declinasse. Refert de eodem Eusebius, Nicomediae episcopis convocatis significasse Imperatorem, Jordane fluvio, ad exemplum Christi, baptismum sicut percipere intendisse: sed cum in praesenti rerum articulo non ticeret ad effectum deducere institutum illud, in splendido regioque apparatu, quamvis purpura abjectā /acrum celebraverit, in ueste candida Deum laudaverit, & post donatos annuis pensionibus Romanorum nonnullos, ipso Pentecostes festo diem obierit. Qvod verò baptismum ad finem usque vitae dilatum attinet, non Imperatores solum, sed & ipsos ecclesiae patres Ambrosium, Augustinum & ceteros, anteqvam baptizarentur concilii & mysteriis diu interfuisse legimus. Imo de nostris majoribus constat etiam, qvod multis post seculis illi quoque, cum primum Christiani evaderent, baptissimi perceptiō nem identidem ad finem usque vitae suae distulerint, ut purificati lavacro salutari, immaculati vitae aeternae januas intrarent. Vide sis hist. eccles. sept. scriptores Lindebrogi edit. Fabricii, pag. 141. Orig. Hamb.

APHOR. XI.

**Q**Vi vala argentea & aurea, itemque reditus, SILVESTRO in manus datos,  
qvos

qvos luminaribus Petri & Pauli Imperator assi-  
gnaverat, accuratissimè recentet *Platina*, (hi-  
storiæ Pontificiæ *Svetonius*) (a) donationis  
prodigè hujus, omni procul dubio mentionem  
fecisset, si sub specie veritatis aliquâ eandem  
sele vindicare posse vidisset. Potius sicut de  
lepra & baptismo Romano Imperatoris fabulam  
nullis idoneis testibus niti palam asserit: Ita ex  
silentio suo, qvid de donationis apparatu sit  
sentiendum, non obscurè indicat.

(a) Ruperto sic audit, quod tyrannidem Romanam re-  
centioris aevi ejusque atrocitates, si non plenissimè, cer-  
te plenius, quam pro more seculi sui, descriperit. Ve-  
risimile autem esse, diligentem historicum non minu-  
ta quaevis narrare, & quae maioris sint momenti,  
silentio involvere, Reinkingius in sua thematis hujus  
resolutione, argutè monet.

*APHOR. XII.*

**C**um certis & approbatis agglutinatam esse  
putidam narrationem hancce, evincit po-  
testas, in qua Romanam civitatem tenuere  
Imperatores ordine sequentes **CONSTANTI-**  
**NUM.** In divisione imperii inter tres filios,  
**CONSTANTI** tributam fuisse Italiam testes  
aëgiomous sunt *Zozimus* & *Zonaras* (a). Eun-

B

dem,

12

dem, hostibus victis, fulgenti carpento triumphum egisse Romæ Ammian. Marcellinus auctor est (b). In urbe vero non sua, triumphalem pompam duxisse Imperatorem, quis quæsto! sibi persuaserit? Aut igitur dicendum unius rei duos pluresve in solidum fuisse dominos, aut donationis, si qua facta fuerit, (c) in tempore nullam sequutam fuisse traditionem.

(a) Arnulfus de potestate temporali Pontif. Rom. p. m.  
172.

(b) Sam. Basnag. annales polit. eccl. pag. 688. col. 2.

(c) Constantinum religiosum adeo principem, quæ ecclesiae jam ante devoverat, testamento postmodum destinasse filii, & Theodosium Catholicum Imperatorem, quod non suum, sed ecclesiae esset, una cum filiis & successoribus usurpare voluisse, nisi nimium credulus, non facile sibi persuaserit quisquam.

#### APHOR. XIII.

**H**AUD obscurè prodit tabulam numerosa titulorum congeries, quâ ne infamia quid quam tanii principis honori adspiceretur, tabulæ concentonatores piè prospectum voluere. Titulum subdititiae tabellæ præmissum nota (a) integrum mox exhibet. Necio vero an dubitare liceat, **CONSTANTINUM**, nunquam in

in edictis hujusmodi titulos sibi accumulare soluisse. Constat enim, iis temporibus, magno verborum apparatu, rem, quæ paucis denotari potuisset, pronunciare insolitum fuisse. Hominum verâ cognitione Numinis destitutorum, utpote p̄ḡnorum & Muhamedanorum mores, non quæ hactenus in ecclesiâ obtinuerat, Christianam humilitatem prodit insolecendi vacordia illa. In specie vero, quod Augusti elogium attinet, quale videri vult Constantinus inter alia sibi tribuisse, ex Eusebio notum est, quod post mortem demum exercitus eundem honore nominis illius prosequutus sit, eandemque in filios inde, ceu perennem & hereditariam transire voluerit appellationem (b).

(a) *In nomine sanctae & individuae trinitatis, Patris scilicet, Filii & Spiritus Sancti Imperator Cæsar Flavius CONSANTINUS in Christo JESU, uno, ex eadem trinitate Sancta Salvatore D:no DEO nostro, fidelis, mansuetus, beneficus. Alemanicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Britanicus, Hunnicus, pius, felix, victor ac triumphator, semper augustus, Sanctissimo ac beatissimo Patri patrum, SILVESTRO urbis Romanae episcopo & papae, atque omnibus ejus successoribus, qui in eadem Petri usque in finem seculi successuri sunt pontificibus, nec non omnibus reverendissimis & DEO amabilibus catholicis episcopis, eidem Rom. ecclesiae banc no-*

stram imperialem constitutionem subjectis, in universo terrarum orbe nunc & in posterum constitutis, gratia, pax, charitas, gaudium, longanimitas, misericordia a DEO patre omnipotente & J. Christo filio ejus & spiritu Sancto, cum omnibus vobis etc. etc.

(b) Augusti, ab augendo, indigni omnino erant, qui appellarentur, si in tam enormem imperii diminutionem ipsi consentissent.

#### APHOR. XIV.

**L**atinitatis sequioris ævi officinam olet stilus etiam, quem in consignando donationis instrumento, auctor adhibuit. Licet enim exterarum gentium commercio ætate illa, quæ Constantinus sedet, admodum vitiata fuerit priora latinæ lingvæ integritas, a tam agresti rerum, (a) & verborum (b) imperitiâ tamen, qualem hæ tabulæ præferunt, procul absuisse scriptores seculi illius, quæ innumera etiamnum prostant monumenta eorum, satis apte restantur (c). Igitur si, nonnisi posterioribus seculis ex eodem armamentario, quo decretales epistolæ Pontificum, quis desumtam existimaverit hanc quoque donationis formulam, a ianua non multum torte aberrabit.

(a) Rerum imperitiam, inter alia arguit subscriptio, quæ viri clarissimi titulo Imperatorem ornat auctor,

etiam omnes auxiliis, nosq[ue] auxilijs, auxiliis eidem.

eidemque consulatus IV. illius collegam facit Gallicanum; cum quartum consules Licinius & Constantinus eodem tempore administraverint imperium, si quae de fastis & successionibus consulum Dionysio Petavio perhibenti fides sit adhibenda in rationar. tempp. III. p. m. 106. Iterum regiae dignitatis insigne Romanis invisum, auream coronam, quam Silvestro dederit, Imperatori tribuit; cum more principum orientalium, diademate caput exornatum fu<sup>s</sup>e Victoris epiphione una cum chronicō Alexandrino consentiat. Porro cum potestatis supererinentis suae auctorem, non DELLUM, sed Imperatorem praedicat & agnoscit papa, scenam & personam mutare, quis non videt? Certe sibi & Imperatori talia affigit, quae pietatis zelo imbutus, contra mandatum Divinum, aegre quicquam admiserit. Deum quae de principatu sacerdotum, & stratoris officio ab Imperatore praestando principatu isti, inibi disseruntur, inficta magis sunt, quam grae arte aut disciplina ulli cum moribus & personis seculi Constantiani p̄terint combinari.

(b) Barbara & solacea in stilo occurrere plurima, e. g. placatum concilio proprio clericare, pro: non consultis aliis, ad placitum, constituere clericum, quis quæso! agnoverit locutionem esse ex seculi IV. phraseologia Latina desuntam? A plebe Romana multarum nationum, non paucæ vocabula desumpta fuisse & sub notione lingvæ rusticæ (Rome s̄t bondesprog Holbergs hist. eccl. II. 190.) seculo IV. etiam invaluisse, non nego. Sed cum retineat illa lingua pristinae lingo græcæ

gōie genium adhuc: hae verò tabularum sordes & fal-  
siopia veteris formae neque umbram praeferant, He-  
ginenle textum esse, aut certè ex literis obscurorū  
virorum compilatas sa'ebras & sales istos cre-  
derem, nisi temporum ab invicem satis magna inter-  
cederet distantia & longinquitas.

(c) Antiquissimis Latinae linguae seculis, puta sub regi-  
bus Albanis, voces i'sas una cum scriptione & stru-  
cturā earum non nisi negligentiam & rusticitatem pro-  
didisse, certum est. Ast postquam in civitate opes &  
dignitates, & ex opibus splendor invalesceret, magis i-  
p'a quaque lingua perpoliri coepit. Crederes sequioribus  
seculis non atiam indolem habituram fuisse eandem lin-  
guam. Gentium ab arcto immigrationibus vitia, quae  
in linguam se'ē illo tempore infuderunt, omnes ad-  
scribunt. Post verò introductum orbe Romano novum  
splendorem, praesertim postquam omnis rei, etiam lite-  
rariae monopolium ad semet clericū & primicerii il-  
lorum pertraxissent, liquido magis discussum iri nu-  
peram linguae caliginem, quis non justè sibi persuase-  
rit? Sed quem pristinum ordinem cum subsequentium  
temporum fatalitas nulla servaverit, cui, quae/o! non  
ip'a se in oculos ingerit ignavia aevi illius, & in fa-  
cias, non approbante, sed invito Numine, regni in-  
stauratio?

#### APHOR. XV.

**F**Alles & fucolas merces esse, quæ in illo  
edicto continentur, evincunt verba noua  
illa

illa solum, qvibus injustum esse pronunciat, ut *sacerdotium & imperium* una sede morentur, qvæ a discrepante omnis ævi experientia in pudorem data plus satis sunt atqve refutata: ve rum illud insuper effatum etiam, qvo super quatuor præcipuas sedes ecclesiæ Christianæ, puta Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam & Constantinopolitanam Romano episcopo, una cum primatu, imperium tribuitur. cum fide annalium sit illud certissimo certius, qvod nulla de primatu controversia, neqve Constantin poli fundata aliqua fuerit ecclesia, (b) cum editum **CONSTANTINI** Romanum exisse perhibetur. Ne de patriarchali Hierosolymitana ecclæsia qvid dicam, qvani post defunctum Imperatorem demum, eo honoris evectionem esse constat (c)

(a) Si non justum sit, ut ubi sacerdotii & Christianæ religionis caput residet, ibi Imperator terrenus potestatem habeat, perperam egisse censendi sunt summi Sacerdotes sub veteri foedere, cum Reges Iudaeorum, una secum sede Hierosolymis morari permitterent; pccasse quoque censendus est Petrus, cum Romam se reciperet & de ecclesia, urbe in ipsa Imperatorum gentilium instaurandâ laboraret. Apparet numeri negre alicu-

alicuius esse Pontificis ratio ista Jacobo Basnagio  
part. I. bistor. eccl p. 364. f. cum manifestum magis  
falsitatis illius indicium esse non posse ait, quam cum  
pro injusto venditat, que l' empereur de la terre  
demeurat dans un lieu, ou empereur du ciel  
avoit placé le chef de la religion. Quid mul-  
tis? basilicas olim ubique serè institutas fuisse, ubi Im-  
perii sedes collocata esset, imo ad GRATIANUM usque  
Cælares iros pontifices fuisse, nostrum nemo, est,  
qui nesciat.

(b) Translatam prius fuisse sedem Imperatoriam, quam  
in nova urbe ecclesia instauraretur, scriptorum tantum  
non omnium consentiens est traditio. Translatæ verò  
sedis vel praecipuam caussam fuisse Deorum cultum,  
quem Romæ aboleri cives veterani pati non possent,  
bistoriae eccles. Gothanæ auctor existimat. Eosdem  
cingulum se deponere malle, quam avitae religioni suæ  
renunciare vellent, ipsi in os Caesari dixisse, Zozimus  
auctor est. Videturque tanto magis illa veritati consen-  
tanea ratio, quanto de Symmacho post sesqui seculum  
patritio Romano, qui VALENIANO regnante floruit,  
constat, quod senatus nomine is inde quoque postulave-  
rit, idolorum cultum in urbe restitui. Quidquid  
verò sit de populi execrationibus & inde nato trans-  
ferendæ sedis consilio, de eodem non incommode idem  
dici posse videtur, quod de Papali sede Avenionem transla-  
tiā iudicari vulgo solet: Geminam translationem istam  
fatati metamorphosi fores utrinque patefecisse; alteram  
ecclesiæ paulatim subseqventi reformationi;

verò invadendi primum; mox exscindendi imperii Romani Gothis & eorum contributibus transitum aperuisse.  
 (c) In concilio Nicaeno, quod, translata principie sede, Romanam hancce donationem post non paucos annos exceptit, sive eidem JULIUS sive SILVESTER Romanus interfuit, de neutro legimus, quod ex suo iudicio acta concilii ordinaverit. Potius inter concilii Carthaginensis paulo post habiti decreta legimus probibitum, ne principem sacerdotum, aut tale aliquod qvis letmet appellare praesumeret. Basnag. annal. hist. polit. tom. II. p. 688.

## APHOR. XVI.

**I**ntra dubiæ mercis notas non injuste qvis retulerit, quod inducatur in edicto *MILTIADES* (*Melchiades*) *SYLVESTRI* in episcopatu antecessor, testis scenæ & ludicri hujus. Cum vero iam ante tempora *CONSTANTI*NI martyrio ille affectus esset, ita ut de illius conversione & liberalitate facta successori, testari nullus potuerit, qvis qvælo! non videt in qvam frivolam & illiberalem, sed solemnem veritatis possessionem sotnia iterum iterumque ire repere sustineant.

## APHOR. XVII.

**P**orro de veritate donationis hujus addubitandi occasionem dant absurdia, non mira.

nora alia, qvæ ex futili donatione ista neci possunt. nempe si primatus a **CONSTANTINO** sedi Romanæ fuisset concessus, qvi imme- diatè seqvabantur, Imperatoribus factum solemne illud, sine dubio notissimum fuisset. Qvin, post non longo intervallo ad **HONORIUM** scri- bens **BONIFACIUS** Papa I. urbem domi- nam Imperatoris urbem (a) neqve facile di- xisset; non post ducentos annos **BONIFACIUS** IV. si imperium emiens orbis & urbis ad ipsum pertinuisse, abs **PHOCAM** Impera- tore veteris *Panthei* possessionem efflagitare & impetrare opus habuisset. Neqve de primatu litigiosam rem inter Constantinopolitanum & Romanum Episcopum ad suum tribunal vocas- set Imperator **JUSTINIANUS**. Igitur cum ad decisionem Imperatorum, indigenæ & ho- noris contentiones suas Papæ devolverint, o mni sine mentione præscriptionis jurisqve liti gantium alteri jam ante facti: ex illa donatio- ne **CONSTANTIINI** dominatus sui initium eosdem non nisi ægre probare posse, qvisque videt (a).

(a) Confer Caroli Molinæi opusc. Tom. I. p 180 seq.  
Et quæ ibi citat idonea veterum monumenta.

APH.

## APHOR. XVIII.

**C**onfundit fabulam, qvam longi temporis  
mendacia finxere, **CONSTANTII** Im-  
peratoris decretum, qvi ad comitia regni ci-  
tati curavit **LIBERIUM** Papam, qvod prin-  
cipum & imperii edictis pertinaciter restitisset;  
(a) & penitus eandem obruit demum **LEO.**  
**NIS** Auḡsti factum, qvi ignorans semet in-  
potestatem Christianæ legis antistitum transiisse,  
ad instantiam Auloniæ Romæ, h. e. antiquæ  
urbis civium, **Anthemium** misit, qvi sui sub  
imperii jugum, si qvi declinare vellent a statu  
suo, redigeret (b).

(a) Am. Marcell. Lib. 25. Cap. 7.

(b) Euagr. Lib. 2. Cap. 16.

## APHOR. XIX.

**E**X officina non alia, qvam qva *decretales*  
ceteræ, [a] hanc de Pontificum tempo-  
rali regno institutionem produisse vidimus. Qvo  
tempore lavavissimam lucem primum fœtus ille  
viderit, anteqvam ad excutiendam facti moralita-  
tem perventum fuerit, penitus inquirendum.  
Qvi ad *Balsamonis* ætatem (b) incunabula ejus  
referunt, turpiter errant, cum ante cum *Isi-*

dorus Mercator multò; LEO Pontifex IX: aliquæ donationis hujus meminisse perhibeantur (c). Qui Pipino rege annuente, certe non dissentiente, excogitata putant fallaciam ad expungendum una fidelia Constantinopoleos iura Italica cum sacra tum quoque profana, probabilitatis tuendæ illius multas in promtu rationes habent. in ceteris quod ante seculum octavum nulla magnificæ donationis mentio apud historicos inveniatur; & demum in pagina donationis suæ Cæsar OTTO III. CAROLI & PIPINI, non item vetustioris, puta Constantianæ huius commeminerit (d).

(a) Decreta & decretales, juris canonici filo, invicem differunt. Illa ex conciliis & scriptis patrum sunt desumpta. Haec ex constitutionibus Papalibus sunt depromtae & ad Papae auctoritatem stabiliendam præfertim excogitatae. In universum omnia edicta illi profundamento habere regnum Clericorum & independenter à republica politiam supponere, Boehmerus in iurisprud. protestantium ecclesiastica sua, accurate observat.

(b) Isidori mercatoris meminit Sam. Basnage in suis eccl. & polit. annal. part. II. pag. 687. eundemque una cum Leone Balsamonis actatem multo antevetisse ostendit. Floruisse illum, CAROLO magno imperante, & sub nomine peccatoris, perinde atque mercatoris inclus.

inclusum fuisse, Holbergius (ne de ceteris historicis  
quid dicam) histor. eccles. sua Lib. I. p. 354. testatur.  
(c) Romano Episcopo cum Constantinopolitano de eccl.  
siae primatu controversiam paulo ante motam. & in  
Italiam missam fuisse legationem ab Imperatore Con-  
stantinopoleos ad repetendum Italiae provincias, quoque  
notum est. At labefactandum, uno & eodem impetu,  
obicem utrique statui possum illum, opes in commune  
contulisse regem & Papam, quid vero simile magis es-  
se potest?

(d) Sedisse OTTONI Imperatori illam opinionem, ex formu-  
la donationis ejus apparet, cum & archatum Ravennatem.  
que ditionem, una cum urbibus, civitatibus oppidis & ca-  
stellis, quae piae recordationis Dn. PIPINUS & Dn. CA-  
ROLUS excellentissimus Imperator, praedecessores sui, con-  
tulissent b. Petro Apostolo & successoribus illius, pri-  
legio ipse suo quoque SILVESTRO II. (praceptori olim  
suo) ceterisque pontificibus sui aevi, confirmaret.

APHOR. XX.

**I**N palea quamvis veritatis grana nulla repe-  
riantur, id quod pluribus in antecessum e-  
victum ivimus: ad pervertendum omnem ve-  
teris ecclesiæ disciplinam, ad atterendum im-  
perii vires, & mox invadendum totius orbis  
principatum pontificibus interviisse lementem  
eius, firmata, non unius aevi locique, sed se-  
culorum serie longâ, testis est experientia. Quo  
verò

verò legitimo, illegitimo, bonæ ne an vero male fidei titulo nitatur præsumtio eademi, per transennam insuper dispiciendum.

*APHOR. XXI.*

**P**rincipi terreno competunt, qvæ religionis sunt, *externa*, eorumqve ad decorum, & salutarem finem ordinatio. Caput & fundatum ecclesiæ cum non aliud, quam *CHRISTUS* ipse sit: remanet, principem omnem, qvi vicarium caput constituere præsumserit, extra oleas & terminos potestatis suæ egredi; & qvi juris possessionem à non Dominio receperit, Pontificem, non amplius Divini sed humani juris esse potestatem suam, non obscure confiteri (*a*).

(*a*) *Caput non aliud ecclesiæ esse, quam Christum servatorem, non tantum prout ex pacto cum patre rex est ac dominus ecclesiæ ( Psalm II. 6.) sed etiam prout influxu morali pariter ac physico membra conservat, id que per varias functiones, quas in ecclesia constituit, itemque per varia donorum genera, confersis Buddeum Theol. Dogmat. Lib. V. Cap. 3 §. 4. variis scripturæ dictis, praesertim. Eph 1: v. 22. IV. 15 I. Cor. XII. 4. seq. illam veritatem adstruentem & stabilitentem.*

*APHOR. XXII.*

**A**Jove Cælarem divisum habere imperium, neqve

neque sine noxa manifesta sacerdotium cum procurations civili miseri posse, qui ad pietatem utilem non omnia reterri volunt, consentiunt universi; NICOLAÖ non refragante Papa IV, qui omnem Deo militantem negotiis secularibus se non immiscere debere, ingenuè professus est. SILVESIER cum honorificentiam Imperialem una cum spoliis magnorum proventuum, ipse & successores ejus ab Imperatore acciperent, quò fastus & fastigii sui molimina in altum magis provexit, tanto ab instructione pastorali & vestigiis divi PETRI longius d flexisse censendus est (a).

(a) *Luc.* XXII. 25. 26.

#### APHOR. XXIII.

**S**peciem & apparatum mundanum, & quæ cum illo connexa sunt vasallagij jura, (a) cum ne sciat regnum Christi, neque noverint pristina secula; quin, ex jure canonico constet etiam, quod de personis ecclesiasticis eorumque rebus decernere homini laico (b) interdictum sit omnino: quid quæsto de CONSTANTINO censendum, a quo sceptrum, corona & cetera culminis imperialis ornamenta

Pon

ROMA (c)

Pontifici collata dicuntur? An non potestatem  
sopra suam jurisdictionem involavit, & quod  
cum amortizatione (c) jus sibi sumvit clargiendi  
emolumenta civilia, utrum pro illegitimo &  
contra auspicia adscito non habendum?

(a) Cleri de operibus meritoris doctrinam, itemque Constantini in donando imprudentiam exemplum fecisse certis Imperatoribus profundendi in ecclesiam ingentes thesauros, Bodinus de republica argute observat. Speciatim de principibus suae gentis ait, quod eorum nemo fuerit, qui potissimum regni partem non absumere maluerit, quam spem de salute dubiam sibi facere. Cum verò bella incidenterent, neque nisi collata in unum armata manu publica securitas servari potuit, in feudis regalibus ecclesiam vallam una cum episcopis ad bellicas expeditiones evocatam fuisse, auctor idem refert; paria cum ipso faciente Boehmero in jurisprud. eccles. suae tom. II. 3. 20. §. 101. itemque Holbergio in historiae ecclesiast. suae lib. I. p. 320. ubi de iisdem, puncta episcopis, perhibet, quod cum feudis ingentibus donati essent, bello ingruente, in aciem feudatarios suos contra hostes quoque eduxerint.

(b) ALEXANDRI Papae ad Stephanum archiepiscopum Upsaliensem datam epistolam confer sis, in qua laicis (quos inter eminet princeps) in solidum adimit auctoritatem in ecclesia imperandi, beneficia dignitatesque concedendi, aut de iisdem ulla ratione disponendi. Oernhielms bistor. eccl. S. Goth. III. s. 97. seq.

(c) Amor-

(c) Amortizare, scilicet curiae Romanae, est transferre bona immobilia in manus mortuas, seu possessorem immortalem, adeoque a seculari jurisdictione principis eadem penitus eximere. Contrarium est secularisare, cajus vocabuli usus, in jure publico, proximis seculis magis invaluit, postquam quae antea ecclesiastico principi paruissent & perirent territoria, principis secularis sceptra postliminio colere coepiunt.

APHOR. XXIV.

**P**rincipibus non omnibus, neque promiscuè fas esse de patrimonio regni sui disponere, nedum, regni amplissimas ditiones suas in perpetuum alienare, ex politicis notum est. Potest Imperator esse dominus, quo ad protectionem, jurisdictionem & regiminis administrationem; Imperii verò imminuendi, nisi in calu necessitatis, jus non magis habet, quam corporis sui membra truncandi aut mutilandi. Scilicet non ad subiectum proprium majestatis, sed communitatem civium, proprietatis jura ista pertinent. Igitur non nisi temerè & de facto jus regni sibi **CONSTANTINUS** arrogasse censendus est, si inconsultis illis, quorum intererat, reipublicæ sustinendæ adminiculis civitatem privaverit. Quo intuitu, cum jure nullo, neque juris propor-

tione servata aliqua, uni civi plus quam pro posse suo, & modulo ipsius tribuerit, de principibus, qui in imperio successerunt, quin, quae publico malo distracti fuerunt, omni sine injuria retraxerint, saltem retrahere potuerint, perplexè nemo dubitat.

(a) vide aphorismum proxime sequentem ejusque notae prius membrum.

#### APHOR. XXV.

**N**Oxiorum nullam obligationem esse, regula in doctrina morali constans est, eademque notissima. Cumque non alia contineat donationis formula ista, quam quae cum utriusque partis, & dantis & accipientis insigni lesione admodum conjuncta fuerint: (a) præscriptionis, quae a tempore est, in illo articulo, non aliud jus esse existimamus, quam quæ certarum rerum vi iustiarum esse solet, de quibus sonat proverbium in registerio Svecano non ignotum: Olaga fång är ofång. Ex iustitia nullum jus nascitur.

(a) Potest privato jure civitatis revocari in totum aut ex parte in officiola omnis donatio Imperii maiestatem & securitatem cum periculosis laedat bonorum regni, praesertim immobilium, temeraria omnis profu-

profusio, quis non retractum in illo casu, haeredi & successori in imperio. licitum agnoverit? imprimis cum, quae pro jure retractus privatum fundando valent argumenta, pro eodem publice, puta civitatis bono, instituendo, omnino militent. De ecclesia vero, quo magis illa tiaras & diademata ambire coepit; tanto certius eandem in periculum floris & incolumitatis amittendae suae devolutam fuisse. res est notissima.

## APHOR. XXVI.

**I**N argumentum antiquitatis & non clementiae donationis hujus, sunt qui trahere volunt sollemnem sacramentum, quo eligendus hodie imperatorum quilibet in se recipit defendendam ecclesiam Romanam in omnibus juribus & immunitatibus suis. Non negamus electionis auctoritati, antequam ad exercitium imperii partium admittitur, articulum hunc a statibus Catholicis interi solere. Utrum vero paginæ veteris illius confirmationem pro vero & unico fine habeat conditio inserta illa; an non privilegiorum supplementa illa potius, quæ deinceps accesserunt, eeu litem restaram, certe non perfectam, in medio relinquo. Id certo scio, sine omni rubore Imperatorum dominios post non multo lemet venditare coepisse Pontifices, &

qvtqvot ab ipsis semet imperium accepisse profi-  
teri nollent, tyrannorum & usurpatorum invidiosa  
appellatione non simplici vice diffamatos fuisse (a).

(a) Ab Ambrosii & Theodosii antiqua religione co-  
lorem non simplici vice traxisse pontifices, quoties colla-  
regum calcibus suis petere & atterere vellent, Hol-  
bergius histor. eccl. suae part. I. pag. 201. appositi ob-  
servat. Ad voluptatem & avaritiam & omnipoten-  
tiam (παρβασιλεία) ut inoffenso pede magis perve-  
nirent, scenicum commentum hocce iisdem pro ratione suf-  
ficienti fuisse; idemque canticulum irrepuisse primum, mox  
una cum tempore magis magisque invaluisse, nulli du-  
bitamus.

#### APHOR. XXVII.

**H**ierarchiam, ab illa regiminis ratione & in-  
dole, qvam Apostolus præscripsit & in  
ecclesia apostolica diu obtinuit, qvia multo  
diversissimam, vi edicti hujus, invexere pon-  
tifices, paginam illius omnem, cujuscunqve  
originis illa fuerit, cum apparatu mundano  
omni suo, irreligiositatis postulare nulli du-  
bitamus.

#### APHOR. XXVIII.

**D**E veteris ecclesiæ novitiis non obscurè  
constat, qvod ante diem lustricu[m] inter  
cathe-

catechumenos, (a) ceu audientes primum, mox competentes diu multumque instituti fuerint in capitibus religionis Christianæ; neque a capesenda institutione illa, muneris aut generis conditio aliquem immunem prestatare potuerit (a). Contra religiosum & apprimè necessarium docendi & discendi morem illum, cum ex sola apparitione Petri & Pauli dicatur SILVESTER commotus ad impertiendum Imperatori mystrium, de totius operis fabrica, quod ex arte eandem omnem composuerint Papistæ, presumere licebit.

(a) Abs fidelibus catechumenos, hosque in audientes & competentes, in veteri ecclesia, praesertim disciplina arcani invatescente, distinctos fuisse, notiores est. Veritates non nisi practicae & simplicissima fidei rudimenta audientibus instillabantur. Mysteria vero, quae ad doctrinam arcani praeceps spectabant, non nisi proficiens inculcabant. Illa vero disciplina, utrum ad caerimonias tantam pertinuerit, quae est improbabilis S. Basnages conjectura, an vero ad dogmata quoque spectaverit, nostrum in praesentia disquirere non est. Id observamus saltem, ex illa disciplina, catechumenis non nisi proiectioribus inculcande majora & abstrusa fidei dogmata, deducere Romanos hodiernos interdictum ecclesiae suae, quo à lectione sa-

cræ

cræ scripturæ in vernaculo sermone Laici arcentur. Sed quem morem ex antiqua religione carminis oculandi Sibyllæ Cumanae, alii potius deducunt. Quidquid sit, qui pro electorum Catechumenorum disciplinam saltem in ritibus & caerimoniis constitisse ajunt, recitationem orationis dominicæ submissam, quæ hodie passim obtinet, absolutionem privatam, & denique lepimenta, quæs hodie quoque baptisteria, aliis atque aliis locis includi solent, pro reliquiis veteris ecclesiae disciplinae illius, non pauci habere solent. Haec quamvis à scopo memet avocasse videri poterint, non pigebit tamen ex antiquitatibus ecclesiasticis, rituum siue modi origines investigasse & reperisse.

(b) Concilii Nicaeni tempore adhuc inter catechumenos apud Sozomenum refertur Constantinus, attestante Arnaldo in tractatu politico de exemptione & subjectione Clericorum. p. 175.

#### APHOR. XXIX.

**E**xternus ordo, quicunque in ecclesia obtinet, cum ob finem spiritualem unicū adhibetur, talē adhiberi oporteat; quæ verò in capitulo donationis hujus continentur, schema nonnisi *πολιτικὸν*, puta externæ felicitatis alluvionem & opulentiam respiciat (a): pro instrumento ad corrumpendum magis quam propagandum veri Numinis cultum prostante haberi debere existimamus.

(a) Ex

(a) Ex Sylvestri Papae legendis discimus baptizato Constantino, de caelo auditam fuisse vocem: hodie effusum est venenum & pestis in ecclesiam. Hoc apostegma ut de Ariensis & Papismi peste alii interpretantur: ita incommoda neque, si vox illa vera sit, de peste avaritiae, & ambitionis veneno hoc eodem tempore in ecclesiam effusis, intelligi posse putat Gundungius.

APHOR. XXX.

**N**atum magis provati & incommoda illa omnia percensere, quæ ex donatione Romana hæc in imperium & ecclesiam illata sunt, cum temporis & virium mearum habenda ratio non permittat, vela contraho, & quæ de jurisdictione hodierna curia Romana, ejusque temporariæ structuræ origine sint habenda, ingenuè prolatis acqviesto. Ruituram non post multo magnam Babylonem (a), patres prædixere. Aggeres & fossas ejus resolvi sensim, resolutaque diffluere videntur. Utrum ruinam hæc ætas vitura sit, ruderibus que impugnatores & vates ipsi inambulabunt, qui solus omnia pernotcit & prænoscit

**DOMINUS PROVIDEBIT.**

(a) Cum Martis ille filius JULIUS Papa II. arma Europae principum complurium concivisset LUDOVICO Galliae regi, numisma cudi fecit rex cum inscriptione: Perdam Babylonis nomen. quod symbolum, ante Lutheri reformationem, nisi cum virtute heroicâ aegre consistere potuisse, politicorum patres multi existimant.



DOMINI PROSPERITATIS